

5 Kern 240(1-31)



27

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
OBSERVATIONES QVASDAM
AD ARTEM OBSTETRICIAM
PERTINENTES.

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
CAROLO AVGVSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACI CIVITAE MONTIVM
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE REL.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRO GRADV DOCTORIS
MEDICINAE ET CHIRVURGIAE

D. XX. SEPTEMBER. MDCCLXXXIV.
PVBLICO ERVDITORVM, EXAMINI SVBIIICIT

AVCTOR
M. FRIDER. GVILIELMVS LYDOVICVS HIRT
IENENSIS.

I E N A E
LITTERIS FICKELSCHERRII HAERED. ET STRANCKMANNI.



DISSERTATIO IN ACADEMIA MEDICA

1783

OBSERVATIONES QUASDAM
AD ARTEM OBSTETRICIAM
PERTINENTES

IN ACADEMIA MEDICA
PUBBLICA BOMONENSIS

BOMONIA

CAROLO AVEVIO

ALUMNO ACADEMIAE MEDICAE BOMONENSIS

IN ACADEMIA MEDICA BOMONENSIS

CONSENSU CENSURAE ACADEMIAE MEDICAE BOMONENSIS

ET SOCIETATIS OBSTETRICAE BOMONENSIS

APPROBATAE

IN ACADEMIA MEDICA BOMONENSIS

IN ACADEMIA MEDICA BOMONENSIS

PATRIBVS
REIPUBLICAE ZITTAVIENSIS
CONSCRIPTIS

J S R S S

MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMIS CONSULTISSIMIS

AMPLISSIMIS
DOMINIS CONSULIBVS

DOMINIS PRAETORIBVS
RELIQVISQVE

SENATVS MEMBRIS GRAVISSIMIS



PATRONIS FAVORIBVSQVE

OMNI VENERATIONIS AC OBSEQVII

CVLTV PROSEQVENDIS

HVNCCE LIBELLVM

GRATISSIMO ANIMO SVMMAQVE PIETATE

D. D. D.

AUCTOR





PROOEMIUM.

Cum in eo essem, ut pro consequendo Doctoris
Medicinae gradu specimen inaugurale exhiberem,
inter varia, quae sese mihi obtulerunt scribendi ar-
gumenta, id eligere studui, cuius pertractatio iuue-
nilibus viribus non impar, nec tamen inutilis aut pla-
ne superflua esset. Quamquam enim ipse sentirem,
quam difficile imo fere impossibile sit iuveni aut ho-
mini in sua arte adhuc nouo ex istis imprimis disci-

A 3

plinis,

plinis, quae sola fere obseruatione et experientia nituntur, ea tantum desumere, quae minus cognita aut ab aliis nondum absoluta sint; id tamen lauducendum non videbatur, si, vt multi solent, cramben centies coctam denuo recoquerem, aut talia proferrem, quae, cum lippis ac tonforibus nota iam essent, academici speciminis dignitati, vt ita dicam, nequaquam conuenirent.

Haec igitur animo perpendens, obseruationes nonnullas rariores ex illa humano generi utilissima arte desumptas, cui addiscendae et exercendae operam imprimis dedi, inaugurali dissertatione enarrare mecum constitui; quas, licet omni verborum ornamento destitutae sint, si aequis harumque rerum peritis arbitris non plane displicuisse cognouero, vehementer laetabor.



I.

Observatio vaginae duplicis.

Ante aliquot annos rustica, annos XXX et quod excurrit nata, prope Berolinum degens, prolapsu vaginae laborabat. Rei domesticae tenuitas, labor necessarius et gravis, medela deficiens et sueta immundities, malum quam maxime exasperabant, ita, ut procidentiae magnitudo sensim incretens, infantis demum caput aequaret. Sordes, rudia asperaque vestimenta et pressio externa, Vaginam procidentem attritu

attritu frequentiori fauciam reddebant et erodebant. Denique vero vehementij dolore et pruritu vexata, auxilium petiit. Aggressa igitur Cl. RIBKIVM Chirurgum et Obstetricantem Berolinensẽm celeberrimum, virum intima mihi amicitia iunctum, prolapsum illi ostendit, voluminis supra descripti, nitentem, inflammatum, instar membranae artificiosae tensum, absque ulla plica, epidermide in omni fere ambitu plane deterfa. Cum pedibus aegrota insisteret, pars inferior tumoris arcte contracta et corrugata quodammodo callosa apparuit. Suasit illi Cl. RIBKE ut domum reverteretur, lectum peteret eumque situm decumbendo teneret, ut inferior trunci pars paulo elevatior esset. Iussit porro ut cataplasmata et fomentationes e floribus sambuci coctis applicaret; deinde vero prolapsu, horum remediorum ope, retrogrado, spongiam communem liquamine Myrrhae imbutam, vaginae immitteret, terque de die repeteret; denique autem cum externa exulceratio sanata fuerit, ad ipsum rediret, eum in finem, ut cum spongia fortasse non sufficeret, pessarium applicari, atque tota profapus curatio absolui posset. Horum remediorum usu cum rustica melius valeret, non rediit, fortassis ob pessarii timorem, quod molestum et libidini exercendae contrarium putabat.

Aliquot post menses utero concepit, sensitque praesertim primo et ultimo graviditatis mense *) novam vaginae pro-

*) Facile hoc explicari potest ex mutatione situs uteri in pelvi; uterus enim initio graviditatis descendit, sequenti tempore ascendit, donec ultimo graviditatis mense iterum descendat.

procidentiam, sed minoris molis et molestiae, peperitque feliciter, nec per totum anni spatium auxilium ullum petiit. Tandem vero iterum adiit Cl. RIVKIVM et de magnis tendentibus et distorquentibus vaginae doloribus conquesta est. Digito exploranti nullum fere prolapsus vestigium obvenit, excepto illo, quod vagina ad labia pudendorum magna paullo extensa propenderet et ad pollicis transversi altitudinem detegeretur callosa illa contractio, quae ante ultimam graviditatem, quum magnitudo prolapsus summa esset, inferior, post restitutionem vero, media pars vaginae fuerat. Tanta autem talisque fuit illa corrugatio, ut digito exploranti viam ulteriorem negaret, cui accedit, quod femina fluore albo laboraret, qui vaginam ipsam, inprimis vero locum contractum, eroderat. Praescripsit igitur Cl. RIVKE feminae iniectiones ex decocto florum Sambuci et Chamomillae et spongiae usum supra descriptum, monuitque illam, ut vili haud aestimaret morbum suum, saepiusque ad ipsum rediret et auxilium peteret, ne vagina plenaria parietum concretione afficeretur.

Praeteriit tamen incredibili rusticae negligentia semestrem integrum, antequam rediret, eodemque fere modo, ac antea dixi, conquereretur. Tum, facta exploratione, vagina in loco supra narrato tam arcte contracta apparuit, ut specillum mediae crassitiei vix admitteret; rustica enim consilium ipsi datum ex negligentia, fortasse etiam ex inopia, per breve tantum tempus secuta erat. Menstruorum fluxus sueto ordine et tempore, sed paucior, redierat. Itaque, ne vagina plane occluderetur, commendata ei est spongia praeparata

B

vel,

vel, ut aiunt, dilatatoria, aut minorum sumtuum causa, usus receptaculi Zeae Maidis; eventus autem docuit et hoc consilium neglectum fuisse.

Menſe Januario h. a. demum rediit, gravidam ſe eſſe non ſine magna omnium admiratione retulit, longaeque, et, ut eventus docuit, vanae inter nos de penetratione feminis virilis diſceptationi originem praebuit. Vagina iam loco ſupra indicato plane clauſa erat, nec, niſi digito corrugata ibi vagina ſurſum moveretur, oriſcium uteri, vel potius pars praevia foetus, tactui, obſcure tamen, ſeſe offerebat. Timebat vehementer partum imminentem; hinc auxilium ipſi promiſſum non repudiavit.

Itaque die II. Martii h. a. cum partus appropinquaret, Cel. RIBKE, medicum quendam obſetricium, ſua in arte praeclarum, advocavit, mihiſque et alio amico benevole permittit, ut memorabili huic caſui intereſſemus. Properavimus igitur ad parturientem, cui et foetui, quem utero geſtabat, vix aliud ad vitam ſervandam remedium ſupereſſe putavimus, quam aperturam vaginae artiſicioſam, immo fortaiſſe ipſam ſectionem Caefaream. Quanta vero ratione humanum genus erroribus abnoxium ſit, quantoque ſucceſſu naturae vires interdum agant, ſtatim experti ſumus. Parturiens enim cum doloribus ad partum veris et vehementibus corripereſſetur, digito explorante, liberam ab omni vitio vaginam, os uteri apertum, aquas probe formatas et caput foetus praevium, ſenſimus. Maxima ſane voluptate hoc percepiſimus, licet cauſa ſubitaneae huius mutationis nos plane fugeret. Brevi autem poſt, cum novi dolores adfuiffent, digito iterum exploranti,

ti, omnia miro modo, ut olim, clausa et corrugata sese offerebant. Obsupuimus omnes, varioque modo subitanam illam improvisamque mutationem animo perpendimus. Fallaciam aliquam suspicati, dubii haesimus, num forte prima non satis accurata exploratione vesica aquarum, per dolorem vehementem expansa et protrusa; per illam constrictionem et septum illud praeternaturale tactui se obtulisset; vel num in errorem fuisset inducti per spem eventus felicitioris quam antea exspectare licuerat.

Interim vero, cum dolores auferentur, commodus parturienti situs transversus in lectulo parabatur, ut exploratio ceteraque negotia facilius peragi possent. Mox novus dolor accessit, vesica disrupta est et aquae effluerunt; quo facto caput foetus praevium una cum capillis tactui obvenerit, ita ut ossibus pubis insistere adeoque vecte Roonhuyfiana liberandum esse visum sit. Cum ergo Chirurgus obstetricius manu sinistra vectem introducere tentaret, dextrae manus indice in vaginam immisso, septum intermedium inter vectem et indicem distincte sensit, ita quidem, ut index in concreto vaginae latere haereret, vectis vero recta via ad os uteri procederet. Iam igitur tota rei obscuritas evanuit, apparuitque, duos ad vaginam introitus adesse. Facili igitur negotio vectis ope caput in axin pelvis deductum est, quo facto foetus et secundinarum expulsio mox infecuta est.

Frigus intensum, quies puerperae valde necessaria, aliaeque res impediabant, quo minus tunc temporis ulterior vaginae exploratio institueretur. Laeti ergo ob bonum eventum discessimus, et accuratius examen in aliud tempus distulimus.

Tandem vero exploratio rite instituta sequentem monstravit genitalium constitutionem: Vagina nempe per septum intermedium fibrosum crassum in duo cava divisa erat, quorum unum dextrum, alterum sinistrum respiciebat latus. Introitus dextri lateris immediate ad os uterinum ducebat, sinistri vero lateris fovea per succedaneam illam supra memoratam concretionem orta, pollicis transversi longitudinem tantummodo habebat, sed ampla erat, ita ut totus ambitus pelvis per illam dimetiri posset.

Hoc autem septum nil erat, nisi crassa membrana, epidermide tecta, convoluta in minimas plicas, quae, cum digito evolverentur, cavi pelvis peripheriam explicationi submittebant. Incipiebat autem septum illud a pariete anteriori vaginae, prope orificium urethrae, ascendebat deinde paululum versus corpus vesicae urinariae, flectebatur et adnectebatur lateri sinistro vaginae, descendebat porro usque ad labia pudendorum externa, ita, ut prominens et quasi arcuatum sese apponeret labio pudendorum dextro plane fere delecto adeoque vix conspicuo. Figura igitur septi, ut, quantum sine icone fieri potest, breviter illam exponam, quadrilatera inaequalis erat. Margo eius anterior urethrae et vesicae urinariae adhaerebat; margo superior ad parietem sinistrum vaginae pertinebat; margo posterior descendebat ad latus vaginae inferius, et margo inferior libere pendebat ex genitalibus. Superficies duas habebat, dextram convexam, sinistram concavam. Margo inferior crassitie dimidium fere pollicis aequabat, labioque pudendorum dextro ita adhaerebat, ut labium non tactu sed visu tantum detegeretur. Cum igitur solito modo exploratio institueretur, index ex regione perinaei puden-

dis

dis immiffus. femper in claufum foramen deferebatur, et non, niſi fortuito, ut ita dicam, caſu, verum vaginae introitum ad orificium uteri tangebatur. Marginis iſtius craſſitiam aut latitudinem formavit inferior ſepti margo a dextra ad ſiniſtram partem revolutus; adeoque digitus vaginae immiſſus, paululumque curvatus et eductus obſtaculum offendit, cui, uncini inſtar, inhaeſit. Huic quoque marginis retroverſioni, plicae illae, de quibus antea nobis fermo fuit, nec minus dextra convexa et ſiniſtra concava ſepti ſuperficies originem debuerunt.

Septum igitur iſtud praeternaturale a primo vaginae relaxatae prolapſu originem duxiſſe, ex iis, quae ſupra attulimus, ſatis patet. Epidermidis autem eroſionem, quae ſimul aderat, facile ſecuta eſt concretio, qua iteratum prolapſum Natura impedit.

Plenariam totius vaginae concretionem a prolapſu oriri poſſe, mihi perſuadeo, ſi nempe procidentia completa eſt et epidermide privatur. Repoſita enim vagina, laxa per ali- quod tempus remanet, et diſpoſitionem retinet extus procidendi; hinc plicae ſe invicem tangunt atque concreſcunt. In illo vero, quem retuli, caſu, paries anterior vaginae valde prominebat; ergo procidentiam incompletam, eamque magnam, formabat. Repoſita autem eroſa iſta vaginae pars faucia manſit; relaxata in axin pelvis rediit, atque cum oppoſito latere connexionem per tunicam illam cellulofam ſubiit. Quodſi itaque ruſtica ſpongiarum ut ipſi praeceptum fuit, rite adhibuiſſet, locum non habuiſſet iſta concretio, cuius originem tribuas ineptae et incongruae ſpongiarum per aliquod tempus applicationi, qua fibrae ſepti naſcentis, extenſae et elongatae ob irritationem inde natam magis increverunt;

cui accessit fluoris albi acrimonia, qua epidermis erosa et septi concretio promota est. Relaxatam igitur vaginae parietem anteriorem, novis fibris superstructam et septum illud praeternaturale formantem, non semel et simul concrevisse, ex iis quae attuli, satis patet. Formatum autem septum illud, ab externis et inferioribus partibus magis ad internas delatum quasi est, et duritiem immo fere callositatem quandam digito tangenti exhibuit, quia partes, quae ad cicatrificationem tendunt, duriores semper apparere solent.

II.

Historia secretionis et excretionis lactis per quadriennium, sine infantis lactatione, cum variis et iteratis lactis metastasibus.

Maria Elisabeth IMTSCHIN ancilla aetatis annorum xxx, quae caste semper vixerat, a viro quodam anno MDCCLXXX deducta utero concepit. Corpore inde a primis vitae annis sano, nec ulla haereditaria aut acquisita labe corrupto gaudebat. Circa sextum graviditatis mensem, cum fustibus a vetula quadam vehementer caederetur et duabus vicibus ad terram concideret, variis incommodis afficiebatur; et cum foetus motum ab eo tempore non amplius sentiret, mortuum illum credebat et abortum expectabat. Decem circa dies ante partum, grave aliquod onus in tergo ferens ad scalam vehementer offendens ita humi procubuit, ut onus quod tenebat super caput rueret, totumque corpus misero modo contorqueretur. Quo facto mox summos dolores in regione lumborum et pubis sensit, qui imprimis, cum corpus antrorsum fle-

flecteret, ad partus usque tempus durarunt. Deinde per plures noctes sudore seroso copiosissimo vexata, ex mammis turgentibus magnam copiam feri fudit. Die x. mens. Octobr. eiusdem anni puerum in nosocomio obstetricio Ienensi peperit, mortuum quidem, sed integrum et maturum pondere et mole satis conspicuum, qui sub partu laborioso strangulatus videbatur *). Sub ipso partu, qui doloribus vehementissimis, sed veris, decem horis absoluebatur, in dolorum, intermissione semper artus insuperabili tremore concutiebantur; finito vero partu, miserrima puerpera, variis convulsionibus vexata, tandem longa corripiebatur lipothymia.

Sequebatur illico partum matris frigor vehementissimus, qui una cum febre subsequente spiritu salis ammoniaci et idoneis medicamentis salinis coerceretur. Lochiorum fluxus parvus et fere nullus erat, sed mammae lacte turgebant; singularis igitur cura adhibita est, ut machinae idoneae ope, lac abundans ex mammis traheretur, calidisque fomentationibus stagnatio impediretur. Tamen vero tertio post partum die lac omne in mammis evanuit, simulque labium pudendorum externum dextrum valde intumuit, viaque ex annulo abdominali usque ad labium infarcta apparuit nodis magnis durisque, glandularum tumidarum speciem ferentibus, totumque crus et genua ad furas usque dolore et paralyfi quasi correptum est.

Fru-

*) Liceat mihi brevibus verbis referre, infantem in utraque manu sex digitos habuisse, ita nempe, ut quovis digito annulari parvus, duabus tantum phalangibus consistens, funiculo quasi membranaceo adnecteretur. Ipsa quoque mater dextra manu simili ratione sextum habuerat digitum, qui tamen ligatura separatus cicatricem tantummodo reliquerat. Nec silentio praeterire possum, uxorem fratris puerperae nostrae infantem sex digitis praeditum peperisse,

Frustra adhibuimus aquam Goulardi; sed infusi Arnicae et mixturae ex tamarindis, sale mirabili Glauberi et pauxillo Tartari emetici paratae, ac potionum quarundam laxantium internum usum, nec non externam applicationem cataplasmatum emollientis et resolventis atque semicupii ex fursure triticeo parati, melius aegrotae convenire vidimus. Quo facto lac in mammis rediit et machina idonea extractum est.

Semestri fere praeter lapsō rediit fluxus menstruus, sed copiosus et dolorificus, atque lactis effluxus per aliquot dies evanuit, mox vero denuo mammis implevit. Neglexit aegrotā ab eo tempore quam maxime valetudinem suam, donec demum decem mensibus post partum medicum adiret. Mammae, ut antea quoque fuerant, turgidae lac stillabant, et aegrotā in utraque regione hypochondriaca de dolore querebatur, ibique sentiebat tumorem magnitudine pugni, sed molem. Menstruus fluxus, ut antea quoque, summo dolore aderat. Umbilicus retractus erat, et clitoris omnesque partes inferiores diminutae videbantur. Tumores quoque in inguinibus aderant, et genu non sine difficultate flectebatur. Haec quidem incommoda Arnicae et Tartari vitriolati usu atque cataplasmate ceterisque supra memoratis remediis, brevi tempore minuebantur, sed lactis copia in mammis remanebat; eodemque demum die, quo anno praeterito pepererat, omnes dentio redibant dolores tumores et cetera incommoda. Tumor in hypochondriis mobilior quidem videbatur, sed miseram vexabant febris et dolores atroces, menstrua in haemorrhagiam excedebant, nullis fere remediis minuendam, simulque alvus cruenta erat. Urinam, etsi satis biberet, parcam mittebat, vix unciam per diem, purulentam, lactis secessui similem. Tumores in inguinibus et regione genu crescebant,

nec

nec medicamentis efficacissimis resolventibus et antiphlogisticis cedebant, donec externe emplastrum Cicutae, interne vero pilulae ex sapone Veneto, extracto Cicutae et Camphora adhiberentur, quibus remediis tumores et ipsi quoque dolores ita auferebantur, ut labores consuetos iterum suscipere posset, sed semper adhuc in mammis secernebatur lac bonum et sanum, quod etiam per xiv dies bono eventu infanti cuidam praebebat. Menstruationis, tempore lac evanuit sed cum menstrua cessarent, statim rediit.

Ab illo tempore integram sanitatem non recuperavit, licet sua ex opinione bene interdum valeret. Lac enim residuum variis metastasibus ad pelvim et inguina et flexuram genu originem praebet, sed absque febre. Mens. Decembr. ann. MDCCCLXXXII curae meae ab Exc. STARKIO, cuius sub auspiciis aegrotorum lectulos visitare mihi contigit, commendata, omnia remedia, quae hisce in casibus adhiberi solent, accepit. Tamen vero mense Ianuario insequentis anni dolorem acutissimum in abdomine et latere uno capitis sensit, tantaque affecta est oculi inflammatione, ut oculi coeruleo fere colore imbuti ita prominere, ut sua e sede protrusi viderentur. Adhibui igitur cataplasmata, linimentum volatile et Valerianam, repetitis quoque vicibus venae sectionem institui, et praescripti remedia laxativa continuumque arcani duplicati usum, dietam parcam et fomentationes frigidas ex aqua nitrata ad mammas. In usum quoque vocavi laudata a multis folia et corticem Alni, nec non Chaerophyllum et Petroselinum. Deinde mense Februario eiusdem anni, nimii menstruorum fluxus causa, internum seri lactis aluminati usum et fomentationes frigidas ad regionem pubis adhibui. Tempore subsequente valde quidem debilitata erat, semper vero mammae turgebant lacte,

Cetero VI. ita,

ita, ut mamma sinistra sincerum lac, dextra autem, licet valde turgere, nihil nisi paululum serosae materiae funderet. Vario-
 rum remediorum roborantium et iuprimis infusi corticis Sali-
 cis usu, vires quodammodo recuperabat. Mense Martio nova
 in genu apparuit metastasis, iisdem ut supra remediis resolu-
 ta, sed paucos post dies pedes intumuerunt, Iermense Apri-
 li redierunt in furis tumores, qui optimo successu vesicatoris,
 secundum consilium Cel. DAVID, adhibitis auferebantur.
 Mense Maio dolores vehementissimos in regione infimi ven-
 tris aegrotata sensit, et redierunt tumores ad genitalia externa.
 Mirum in modum debilitata, lac tamen in mamma sinistra
 habuit. Denique supervenit paralyxis linguae, ita ut diffici-
 le loqueretur, quod vero incommodum quoque post applica-
 tionem vesicatorii cessit. Nihil superesse videbatur, quam
 usus remediorum roborantium et anodynorum, quae qui-
 dem cum adhiberentur non plane inefficacia erant, totum ta-
 men morbum non tollebant. Nec quoque ullum fructum vi-
 di ex usu detocti fortioris Salviae, quod immortalis VAN
 SWIETEN *) in continuo et molesto lactis post ab lactationem
 infantis stillicidio commendavit.

Ab illo vero tempore praecipuum symptoma semper erat
 dolor premens et gravis in regione uteri, quem intolerabilem
 esse referebat, adeo, ut iteratis vicibus a nobis peteret, ut
 uterum dolentem, vel alias quascunque partes viciatas excin-
 deremus; molestia enim ex perpetua abundantia lactis exor-
 ta ita in consuetudinem abierat, ut vix illam sentiret. Quae-
 cunque autem remedia adhiberem, frustranea erant, nec
 quicquam supererat, nisi linimenti volatilil externus et Opii
 spiritusque Cornu Cervi internus usus, ut dolores, quos

*) Commentar. T. IV. §. 1339.

~~_____~~
 auferre non poteram; aliquo modo lenirem. Reliqua naturae committenda erant. Notatu tamen dignum videtur, quod tribus annis, eodem die, quo pepererat, febricula dolores et tumores redierint.

Iam vero Berolinum profectus aegrotam reliqui; denique autem huc rediens, cupidus quam maxime eram, ut de statu valetudinis huius feminae certior fierem. Inveni igitur illam ita ut eam reliqueram. Nullam medicinam acceperat, mammae vero quovis die matutino tempore lacte turgabant sano et bono, post aliquot horas tamen ad naturalem molem redibant, cum manu leniter premerentur (id quod imprimis sinistra in mamma observavi) aliquam copiam lactis effundebant, quod sponte nonnunquam effluxit. Mammae bene constitutae erant, nec ulla induratione laborabant. Ipsa haec femina et nunc satis bene valet, imo graviores interdum labores per aliquot tempus suscipit; conqueritur autem de dolore et pondere in regione hypogastrica sinistra ac de somnolentia et lassitudine quadam. Menstrua copiose fluunt, ita tamen, ut interdum materia caseosa alba per genitalia egrediatur. Nuper quoque tempore matutino per dies aliquot, cum alium deponeret, (quod nunquam sine dolore regionis hypogastricae perficit, praesertim si feces durae sunt) massam contortam vermiformem et caseosam per vaginam expressit. Ipso quoque menstruationis tempore lac secernitur. Exploratione apud illam instituta et digito in vaginam immisso, offertur orificium uteri clausum et durum, atque si digitus sursum propellitur, magnum a contactu lateris uteri sinistri et partium adiacentium sentit dolorem, hic loci ergo metastasin reliquam praesentisque mali fontem esse puto. Denique vero nec silentio praetereundae sunt pustulae illae prurientes

ac serosae in occipite, quae adhuc continuo exsiccantur et desquamantur, nulloque modo ab impetigine illa sicca, cui hoc genus hominum frequenter obnoxium est, differre videntur, quasque interdum etiam in regione lumbari sinistra ante aliquot menses, se observasse femina refulit. Variis tandem remediis, imprimis etiam Tinctura illa Zinci nitrata, quam Cl. GELLER *) invenit, dolores aegrotae mitigare mihi contigit, at meis non datum fuit viribus, ut rarum et diuturnum hunc morbum plane auferrem.

Morbum vero, quem iam descripsi, rarum vocare nullus dubito, quia simile exemplum apud scriptores medicos nondum mihi occurrit, ubi perpetua lactis abundantia et tantae ac tam iteratae lactis aberrationes per quatuor annorum spatium durantes observatae fuerint. Huius vero morbi causas et symptomata, si explicare vellem, magnum fusciperem et viribus meis non aequum laborem; pauca igitur, quae mihi hanc circa rem in mentem veniunt, sufficiant.

Causa secretionis lactis conspicua, non in anastomosi epigastricorum et mammariorum vasorum quaerenda est, sed maxime in structura simili, quae utero cum mammis intercedit **). Harum partium actiones eadem fere ratione inter se convenire videntur, quam secretio urinae et perspiratio cutanea; altera enim impedita, altera saepius provenit, et aequilibrium humorum restituit. Consensus mammarum cum utero, egregie, ut mihi videtur, in hoc meo casu conspicitur. Mammae structuram habent spongiosam cellulosam, plethoram

*) Vid. EIVS diss. inaugural. *Zincum chemicum inquirens*. Jen. 1784. pag. 19.

***) Vid. III. BOEHMERI Diss. *de consensu uteri cum mammis causa lactis dubia*. Lips. 1750.

fufcipiendi quam maxime aptam; et vafa laxiora in earum pinguedine delitefcunt. Ab utero ergo retrogradus fanguis totum corpus pererrans, nullibi facilius deponitur, quam in mammis excipiendo illo adaptatis. Tantâ apud aegrotam meam aderat lactis copia, ficut eius fecretionem nec natura nec ars impedire poffet; tubuli igitur lactiferi unâcum orificiis dilatati funt, et, cum brevi poft partum lochiorum fluxus ita diminueretur, ut fere ceflaret, humores in corpore abundantes ad locum minus refiftentem et aptum, id eft, ad mammâs, delati funt, et orta demum eft habitualis excretio lactis, qua ductus lactiferi fenfim, fenfimque ita ampliati funt, ut fubfequente tempore etiam ille fanguis, qui menftruationis tempore ad genitalia defluere debuiffet, maxima ex parte ad mammâs deferretur ita tamen, ut menfes non ceffarent. Tota igitur res cum ulcere habituali comparari poffe videtur, cuius fanatio, ut omnibus notum eft, difficillime fuccedit.

De lactis metaftafibus feu aberrationibus, multa egregie dicta funt a viris celeberrimis PYZOS, DAVID, LEVRET, DELEVRYE *), IAEGER **), BOSE **), BALDINGER †), STURM ††), BERENDT †††) aliisque a fcriptoribus qui morbos puerperarum et gravidarum explicarunt.

Lac vero vel in minimis vafis ftagnat, vel in telam cellulofam effluit, vel in cavo quodam corporis naturali effunditur;

*) Vid. Verf. germ. in *Samml. auserlef. Abhand. zum Gebr. praktifcher Aerzte*. I. B. 1. St.

***) Diff. réf. WILIARDS *de metaff. lactis* Tubing. 1770.

* *) Progr. II. *de lacte oberrante*. Lipf. 1772.

†) Progr. *de metaff. lactea* Jen. 1772.

††) Diff. *de metaff. lactea*. Argentorat. 1773.

†††) *De lactis metaffafibus*. Diff. Goetting. 1780.

ditur; nec ullus fere locus in corpore humano est, in quo eiusmodi observatae non fuerint aberrationes. Tamen vero negare non possum, omnium fere puerperii morborum explanationes in Gallorum auctorum scriptis a depositione lactis desumptas esse, quos et plurimi nostratum secuti sunt, cum e contrario Angli hanc istorum morborum causam reticuerint.

Observationes auctorum in eo conveniunt, quod loci ubi metastases maxime occurrunt, imprimis in partibus abdomen involventibus quaerendi sunt; quo praecipue pertinet peritonaeum. Deinde quoque in cruribus et pedibus tumores eiusdem indolis saepe reperiuntur; haud rarius tumor lacteus in ipsis mammis est; rarius vero metastasis ad cerebrum, et rarissima in gravidis ipsis reperitur. Exanthema in puerperis ex lacteo humore in tota cutis superficie exortum, saepe observatum et fere semper bono eventu comitatum fuit. Omnino per tot tantaque exempla in aliis morbis regula illa confirmatur, metastases plerumque ad partem debiliorem deferri*), seu quod idem est, naturam plerumque morbosam materiam ad partem debiliorem corporis transferre. Hoc imprimis accidit, si irritatio quaedam in loco debilitato adest.

De tempore metastasium auctores asserunt, plurimas lactis aberrationes, chronicas nimirum aut diuturnas circa decimum et duodecimum post partum diem oriri, sed acutis quaelibet puerpera statim post partum obnoxia est. Illarum autem metastasium, quae iteratis vicibus redeunt, auctores mentionem non faciunt.

Causas metastaseos quatuor Cl. BERENDT attulit: prima est lactis ex mammis retropulsio, seu excretio per mammas nulla; secunda, influxus lactis in mammas impeditus; tertia,

*) Vid. BERENDT. Diff. 1. c. p. 20.

secessio lactis a sanguine impedita; denique ultima, lactis ex mammis in sanguinem regurgitatio. Nostro igitur in casu lac e mammis regurgitatum sanguine circumvehebatur, cui tamen non ita admixtum fuit, ut vel nutritioni vel aliis corporis humani functionibus proficuum esse potuisset, ideoque tum ad varias partes glandulares deponeretur, tum in mammas ipsas redibat, iterumque in illis secretum exercebatur. Ista vero secretio, ut opinor, ab utero continuo irritato fovebatur ac sustinebatur. Quarta igitur, quam Cl. BERENDT refert causam hoc in casu morbum produxit, totaque metastasis ab illa, remotius vero ex lapsu eo qui decem dies ante partum acciderat, originem traxisse videtur. Non enim tantummodo vasorum uterinorum concussio ac debilitatio inde enata est, sed etiam per opplétionem humorum corruptorum novum semper allatum est irritamentum, quod usque ad mammas, ob duplicem partium consensum, iterum propagatum fuit. Insecuta igitur est summa lactis abundantia, eiusque ad mammas perpetuus affluxus atque impedita aut non recte instituta excretio; lac ergo in mammis stagnans per calorem et adipis lymphæque admixtionem vitiatum, et deinde in sanguinem regurgitatum, debilitata uteri et inguinum vasa recta via petit, hinc tumores, dolores, febrem ac reliqua symptomata produxit.

Cum autem omnia ab Auctoribus commendata remedia adhibita fuerint, unica valetudinis spes fortasse e nova graviditate expectanda est, id quod imprimis ex iis exemplis verosimile videtur, quae Cel. Puzos *) refert, ubi in quinque diversis casibus egregius graviditatis effectus in pertinacissimis ex lactis aberratione ortis morbis patuit. Eiusmodi vero

*) l. c. p. 84-86.

consilium innuptae dare; boni mores vetant. Mibi quoque non deest tale exemplum, in quo femina doloribus vehementibus circa umbilicum et regionem pubis post partum vexata nova graviditate tantum liberata fuit. Crederem vero fore, ut aegrota mea ob grave uteri vitium, cuius naturam me nescire libere fateor, non concipere possit, nisi observatio, quam Cl. BATON *) refert, ubi ex metastasi lactis abscessus uteri ortus est et femina tamen concepit, luculente doceret, eiusmodi vitium uteri graviditatem non impedire. Bonum etiam in casu meo eventum fortasse sperarem, si durities illa uteri in pus verteretur; auctores enim, cancerum ex tumoribus lacteis non oriri, experientia edocti contendunt.

III.

Historia partus difficilis propter orificii uterini callositatem.

Hanc observationem et illas quae sequuntur, etsi memoartu non plane indignae videntur, eam tamen imprimis ob causam adieci, ut inde appareat, quanta interdum sit obstetricum in illis quoque regionibus ignorantia, in quibus tamen a summis qui ibi degunt, ac in sua arte meritissimis viris aliquid luminis etiam ad illas emanasse crederes. Ex hisce exemplis aliisque, quae, nisi illud argumentum ab Exc. LANGGUTH fil. **) egregie illustratum iam fuisset, in medium protulif

*) In Journal de Medecine Tom 51. vers. germ. in Auszügen aus den besten französischen Schriften. Bt. 1. p. 165.

**) Vid. Exc. Viri Progr. de Cura qua respublica prosequi debeat rem obstetriciam Wittenb. 1782.

protuliffem, luculenter apparebit, quantum reipublicae interfit, ut illae quoque obstetrices, quae praxin suam per plures annos iam exercuerint, rite in illa arte instituantur, in qua saepiffime de corio humano luditur.

Contigit mihi prope Berolinum parturientem videre, quae per XII horas doloribus ad partum vexata fuerat. Aderat ei auxilio obstetrix vetula, quae contendebat, aquas iam diu esse effusas, foetumque natibus praevium et interna genitalia osse quodam obturata esse. Exploratio per immiffum digitum instituta docuit, non clunes sed caput offerri, et uteri orificium callo obductum esse. Exerescencia nimirum dura crassitie pollicis dimidii et longitudine duorum anteriori labio orificii uterini ita adhaerebat, ut totum fere planum anterius segmenti inferioris uteri occuparet, ac carcinomatosa videbatur. Embrocationibus oleosis et pinguibus fomentationibus frictionibusque emollientibus adhibitis dilatatio digitorum ope leni modo tentabatur, ut exerescencia illa praeternaturalis super foetus caput repelli posset, ne capitis pelvim ingredientis vi contunderetur; tumor enim nimis alte positus scalpello auferri non poterat. Dolores interim adueniebant vehementes, orificium satis dilatatum capitis transitum permiffit; exerescencia vero illa intra caput et ossa pubis compressa ad dimidium fere avulsa cum foetu expellebatur. Quo facto, licet omnis cura a medico obstetricio adhiberetur, misera infeliciffimum puerperium, subiit, tandemque nono post partum mensé cancro uteri demum exorto periit.

Rara et brevis tantummodo apud Scriptores artis obstetriciae occurrit callosarum huius generis exerescenciarum men-

D

tio;



do *) , nec quicquam fere praecipiunt nisi incisionem, quae tamen hoc in casu difficillima esse videtur.

In illo autem exemplo quod retuli, callositas uteri originem debuit obstetrici cuidam temerariae et imperitae, quae cum ante aliquot annos aegrota doloribus ad partum laboraret, immisissis digitis orificium uteri, quod dilatare tentabat, dilaceravit. Quo facto femina in genitalibus internis perpetuum dolorem sensit, qui praecique in ultimis subsequens graviditatis mensibus increvit, nec haemorrhagia uteri destitutus fuit, id quod facile explicatur ex illa, quae sub finem graviditatis proprie accidit extensione segmenti uteri inferioris, quam hoc in casu dolor maximus atque ruptura vasorum prope callositatem necessario sequebatur. Cum itaque obstetrix dilaceratum orificium uteri ex imperitia et negligentia naturae plane relinqueret, callositas illa, magna citatrix et excresecientia praeternaturalis, accedente lochiorum fluxus irritatione orta est.

IV.

Totalis perinaei ruptura.

Clunibus praeviis foetus ad partum apparens ob molem suam pelvim intrare non poterat. Aderat obstetrix quae, cum causam morae in mollibus genitalium partibus quaereret, ambabus manibus vaginam ita distendit, ut demum perinaeum sphincter intestini recti et ipsum intestinum rectum ad altitudinem pollicis transversi fortiter rumperet, quo facto haemorrhagia et dolorum ad partum cessatio infecuta est. Inveniebatur

*) e. g. BAUDELOQUE *Anleitung zur Entbindungskunst* edit. Cel.
MERELII p. 184.

niebatur tunc foetus adhuc in pelvi maiori haerens, sed mortuus, facili negotio pedibus rite extrahebatur, matri vero, licet omnia remedia adhiberentur, fissura in perinaeo ad intestinum rectum usque et involuntariae depositionis alvi summa molestia remansit.

Causa difficillimae ac saepe nullo modo, et ne futura quidem cruenta, obtinendae consolidationis rupturarum perinaei in continua lochiorum irritatione quaeras; graves enim perinaei *) dilacerationes extra puerperium facile sanantur.

V.

Historia partus difficilis ob capitis situm iniquum.

Apud rusticam parturientem, vegetam ceterum et robustam, aquae sub partus initium sensim sensimque ita effluerant, ut ipsa earum profluvium non sentiret. Semper fere hoc accidere, quando caput foetus multum a recto situ aberat, notum est. Tum vero parturiens vehementissimis doloribus veris per tres dies vexata semper ab obstetrice admonita fuit, ut strenue labores illos sustineret ac nisu suo promoveret, eum in finem, ut vesica disrupta (caput enim infantis praeivium obstetrix pro vesica habebat) foetus prodiret. Tandem autem cum dolores miserrima diutius ferre non posset, medicus obstetricius advocatus est; qui quidem, sed sero, advenit, naturae enim viribus partus absolutus et foetus mortuus expulsus erat antequam ille adesset.

D 2

Foetus

*) Eiusmodi exemplum retulit Cl. BEHNES in diss. inaugural. *Observat. chirurgic. sistente*. Ienae 1781. rupturae perinaei tantae latitudinis, ut pugnum admitteret.

Foetus deinde corpusculum examini subiectum sequentia, quae silentio non omnino praetereunda esse videntur, prodidit. Tota capitis dextra pars valde tumida colore subnigro suffusa erat atque digito tangenti fluctuationis sensum praebat. Capitis ossa e situ et nexu suo dimota erant, adeo ut imprimis os bregmatis dextrum cum concava superficie sua et angulis suis eminentibus extrorsum, convexa vero eius pars introrsum versa esset. Epidermis diversis locis capitis detrita et cerebrum pulpae mollioris instar dissolutum erat; singularis vero illa ossis bregmatis inversio ita accidit, ut caput dextro latere ad partum prodiens maxima vi ad os quoddam pelvis detruderetur, adeoque demum bregmatis os sensim sensimque versus basin cranii margine suo inferiori depressum atque propulsum plane inverteretur, suamque internam superficiem externe sub integumentis proderet.

Violentae huic foetus morti, obstetrix, si in arte sua perita fuisset per conversionem in pedes aut iustam situs capitis mutationem facile occurrisset,

THE



THESES.

I.

Dysenteria fere semper est rheumatismus intestinalium.

II.

Phrenitis et paraphrenitis plerumque sunt morbi gastrici.

III.

Paracentesis thoracis in hydrope pectoris commendanda est.

IV.

Sutura cruenta ubivis fere reiicienda est.

V.

Causa menstruationis mere organica videtur.

VI.

Causa febris puerperalis plerumque a sordibus primarum viarum deducenda est.

VII.

Expulsio secundinarum sine metu naturae plerumque relinquenda est.

VIII.

VIII.


Forceps Levretiana Smellianae palmam praecipit.

IX.

In partu naturali caput aperturam pelvis superioris ita ingredi debet ut maior capitis diameter, respondeat diametro obliquo pelvis

PICA





27

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
OBSERVATIONES QVASDAM
AD ARTEM OBSTETRICIAM
PERTINENTES.

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCE

DOMINO
CAROLO AUGUSTO

DVCE SAXONIAE IVLIACENSIS
ANGARIAE ET GYMNASII

CONSENSV GRATIOSI M

PRO GRADV

MEDICINAE ET

D. XX. SEPTEMBER

PVBLYCO ERVDITORVM

AVCTORE

M. FRIDER. GVILIELMO

IENENSIS

IENENSIS

LITTERIS FICKELSCHERRII H

